

bus non solum vincti, sed & verberati, & discerpti crudeliter erant.

Carnifices erant homines, per quos fontes in crucem Romani egebant. Non modo Romani cives non erant, sed nec domicilium habere in Urbe poterant. Cicero pro Rab. c. 5. *Sed moreretur potius acerbissima morte millies Gracchus, quam in ejus concione Gracchus consisteret: quem non modo foro, sed etiam castu hoc ac spiritu censoria leges, ac urbis domicilio carere voluerunt.* Et ex eo, quod timebant Romani, Carnificum præsentia & contagione pollui liberam civitatem: Cic. ibidem c. 4. *Uter nostrum tandem, Labiene, popularis est? Tu ne, qui civibus Romanis in concione ipsa Carnificem, qui vincula putas adhiberi oportere; qui in campo martio comitiis centuriatis auspiciato in loco crucem, ad civium supplicium, constitui, & desigi, jubes? An ego, qui funestari concionem contagione Carnificis veto; qui expiandum forum Populi Romani ab illis nefarii sceleris vestigiis esse, dico?*

Qui erat Romæ Carnifex, in Suburra habitationem habebat. Unde Martialis II. 17. 1.

*Tonstrix Suburræ faucibus sedet primis,
Cruenta pendent qua flagella Tortorum.*

Eodem in loco, in Suburra scilicet, ut in amoeno & frequentiori civitatis loco, Meretrices in majori copia habitabant. Victor: *Luparicæ in Suburra.* Et Martialis II. 62. 2.

*Summanianis inquinatio buccis,
Quem cum fenestra vidit e Suburrana,
Obscena nudum lena fornitem clausit.*

Denique inter Carnificis instrumenta tintinnabula; fuisse, scribit Pitiscus; & ex Plauto in Pseudolo constat: *Lanios inde accersam duos cum tintinnabulis.* Ex Festo